

## **Cartulaire manceau de Marmoutier, Tome Second, Mayenne, Nr. 27**

Dei gratia venerabili episcopo de Badone et Ranulpho de Glanvill[a], dominis suis et amicis charissimis, Stephanus, siniscallus Andegavensis, salutem et dilectionis integritatem. Vestre notifico excellentie quod ego addidici in rei veritate per chartam suam et per vivas voces legitimorum testium patere quod Juhellus de Meduana, pater Walterii de Meduana, dedit in eleemosyna prioratui Sancti Stephani de Meduana, pro anima sua et suorum antecessorum, decimam suarum C librarum redditus in Anglia et omnium suarum adquisitionum in Anglia; quam prior et monachi Sancti Stephani in tempore prenominati Juhelli et Gaufridi de Meduana et etiam ipsius Walterii de Meduana in pace habuerunt, ita quod domini prenominati inde suam faciebant voluntatem. Et quoniam idem Walterius de Meduana decimam illam priori prenominato et monachis diffortiat et reddere modo contradicit, et quoniam dominus rex inde ei multoties scripsit quod emendaret et ipse renuit, et quoniam idem prior est amicus meus charissimus et dilectus, diligenter et affectuose vos deprecor et etiam instanter ammoneo et consulo quatinus priori de Meduana et monachis decimam suam rationabiliter restitui faciatis, sicut dominus rex inde vobis scribit, et sicut eorum charta testatur. Et tamen pro amore Dei et rationis et justitie intuitu et prece mea et petitione faciatis ut sentiant preces meas sibi profuisse. Et ut inde vobis tenear magis obnoxius et devotus, quidquid enim inde feceritis, Deo et mihi factum reputabo et inde vobis reddam grates quamplurimas.